

Sive porrò *Aquis* nos immergamus, periculum sanè est, ne  
 multitudine novorum in iis inventorum deprimamur, nam ut  
 inventa *Hydraulica* omnia præterfluere jam sinam, (55.) offert 55.  
 se primò Anglicanum illud *Hookii* instrumentum, hauriendi a-  
 quam ex quacunq; maris profunditate, ita ut nec superior, nec  
 inferior alia illi se admisceat: (56.) Comparet deinde *Campana* 56.  
*Urinatoria*, recens, *Georgii Sinclairi*, Scoti, inventum, quâ tectus  
 ingeniosissimus Author, anno seculi hujus quinto & sexagesimo  
 ad *Mulam*, Scotiæ Insulam, ad fundum usq; maris se demisit, ejusq;  
 ope tormenta bellica tria è demerso per septuaginta septem an-  
 nos navigio sustulit. (57.) *Ars navigatoria*, cum in Architecturâ 57.  
 suâ, tum in ipsis navigationibus, quibus per ipsum polum Se-  
 pentrionalem in *Japaniam*, *Chinamq;*, provecta est, (58.) invi- 58.  
 dendis pariter hoc seculo adaucta est incrementis: de quibus o-  
 mnibus tamen præstat filere, quàm pauca dicere. (59.) 59.

Sive *Terram* deniq; perambulemus, sanè ubicunq; fermè  
 pedem posuerimus, novum offendemus inventum, sive enim  
*Architecturæ* cum civilis, tum militaris, sive *Mechanica*, sive *Stati-*  
*cæ*, sive deniq; *Gnomonica* elegantissima artificia noviter excogi-  
 tata curiosè contemplemur, hærebimus ancipites, quidnam pri-  
 mum, quid secundum ex illis admiremur. Sive ad naturalia  
 transeamus, offerunt se lapides gemmæq; variæ; de quibus egre-  
 gia *Boyllii*, *Hameliiq;* annotata iis, quos delectant, profunt. *Ma-*  
*gnetem* speciatim quod spectat, eum in declinationibus suis in-  
 constantem esse, & ab uno gradu ad alterum tractu temporis  
 deflectere, recentissimæ observationes, *Noribergæ* institutæ,  
 persuadere nobis volunt. (60.) Neque ultimus seculo nostro 60.  
 splendor affulsit per *quinq;* illos *Phosphoros*, de quibus peculiare  
*Elsholzii* observationes prostant. (61.) Quod si florum planta- 61.  
 rumq; innoxia voluptate oculos naresq; pascere libet, quàm  
 rara, quàm notatu digna, quàm jucunda in iis annotarunt *Mal-*  
*pighius*, *Morison*, aliiq;, quorum solerti industriâ factum est, ut &  
 ipsa *Botanica* ad summum hodiè effloruerit fastigium: sed ea o-

D

mnia